



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Condonatio quartae partis tributorum. Cap. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*Condonatio quartæ partis tributorum.*

CAP. II.

**Q**Vanto autem studio curauerit, vt & plebem & inferiorum hominũ animos exhilararet, vel ex vno exemplo quod erat, & ad vitam commodissimum, & ad omnes etiam perueniebat, hodieq; durat, facile perspicere licet. Nam cum annua ei tributa, agrorum nomine penderentur, quartam his detractam partem, agrorum possessoribus donauit: vt annuam detractationem ad calculum reuoanti, facile appareret frugum dominos quarto quouis anno à pendédo tributo fore leuatos: Id quod etiam lege firmatũ, & in omne reliquum tempus stabilitum, non uiuentibus solum, sed etiam eorum liberis & successoribus indelebilem & perennem beneficentiam præstitit.

*Adequationes tributorum granium.*

CAP. III.

**C**VM vero nonnulli agrorum metationes à superioribus imperatoribus factas reprehenderent: hisq; fines suos premi quereretur: hic rursus arbitros misit: qui re diligenter inspecta postulantes illæsos præstarent.

*Quòd pecuniariis iudiciis conuictos, ipse propriis facultatibus subleuauit.*

CAP. IIII.

**C**Aeterorum causas pecuniarias ipse imperator audiens cum minimè vellet vt qui causa cecidissent deteriori conditione discederent: libenter eis ex suis bonis nõnunquam agros, aliquando pecunias largiebatur: vt iudicio conuictus, quoniam dignus est habitus, vt in conspectũ imperatoris veniret: non minore cum lætitia discederet, quàm qui causam erat adeptus. Etenim cum non decere existimaret, vt qui coram tanto imperatore compareret, demisso & lugubri animo dimitteretur: ista ratione perfecit, vt vtraq; pars sereno placidoq; vultu iudicio liberaretur. Ita accidit vt hanc animi in imperatore celsitudinem omnes admirarentur.